

AMPLISSI-

MIS, PRVDENTISSIMIS QVE

viris Consulibus, Iudicibus, totiq; Senatui Ci-  
uitatis Torgæ Dominis suis pluri-  
mum honorandis.

S. P. D.

Verissimus est Horatij versiculus,  
dum ait,

*Qui studet optatam cursu contingere metam,  
Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit.*

Intellexit enim Poeta magno multoq;  
labore vel mediocrem saltem eruditionem cõ-  
parari. Quanta difficultate, quibus vigilijs  
qualemeunq; hanc doctrinæ metam sim ade-  
ptus, norunt, cum quibus multos nunc annos  
vixi familiariter, viri doctissimi & celebres,  
quorū plurimos nunc dira intempestiua mors  
abripuit. Cum autem propter negocia non  
leuis momenti in patriam esset abeundum, e-  
goq; testimonium quoddam & speciem vi-  
tæ, ac laborum in studijs exhiberem, oratio-  
nes quasdam in Academijs publicè habitas  
imprimen-

imprimendas curavi, quas viri Amplissimi,  
vestris Dom: dedico, earumq; tutelæ com-  
mitto, vt grati animi & memoris erga patri-  
am quædam extaret significatio: omnia enim  
me patriæ debere agnosco: atq; vtinam ea ac-  
cidissent tempora, vt ad eius salutem, utilita-  
tem qualiacunq; sunt ingenij dona conferre  
potuissem. Rogo autem vestras Dom. exi-  
guum clientuli vestri munus læta fronte susci-  
piatis, & sic vobis persuadeatis, me nihil, quod  
ad virtutem conferet, prætermitturum: omni-  
bus & mentis & ingenij viribus conaturum,  
vt patriæ honori decoriq; esse possim: si quoq;  
intellexero, hoc opusculum fuisse gratum, o-  
lim saluatore iuuante, maiora daturum. Be-

ne valeat V. D. ac me ea, qua solet, be-  
neuolentia complectatur. Datæ

Viennæ Austriæ xv. Ca-

lend: Maij Anno

M. D. LX.

Vestrarum Dom:

studiosis:

M. Nathanael Basman-  
nus Profess: Ordinarius.

ORA-